



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1783

VD18 90119304

§. 7. Mediobarbi Legati Apostolici epistola ad summum Pontificem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

de prona Imperatoris voluntate una-
 cum Legato ejusque Sociis ovantes
 & gratulantes increpabant, & Pater
 Murao subjunxit, aut Imperatorem
 pro more suo multa per Ironiam dixisse,
 aut Deum luculento prodigio ejus ani-
 mum immutasse. Hæc inaudiens Le-
 gatus confusus animo nec auribus qui-
 dem & oculis constitit, quo animad-
 verso Eunuchus *Cinsu* eum quieto ac
 tranquillo animo esse jussit, eoquod
 ejus negotium plene confectum esset,
 proin folius Imperatoris verbo & non a-
 liorum cavillis intenderet: Paulopost
 PP. Suaresius & Bouetus Rovedæ Le-
 gationis Secretario retulere, quod Im-
 perator post Legati discessum hæc ad
 illos verba dixisset: *ætate graves estis*
ambo, quiescite tandem, & reliquos vitæ
dies transigite in pace, consolamini, lætique
sitis, ego sum fidelis vestræ senectutis comes.

§. VII.

*Mediobarbi Legati Apostolici epistola
ad Pontificem.*

Eadem die decima quarta Januarii
 Mandarinus *Chao* Imperatoris jussu
 Legato insinuabat, ut epistolam, quam
 ad summum Pontificem mittere cogita-
 ret, conscriberet, eamque ad Impera-
 torem deferret, quem vero cum eadem
 Ro-

Sæc. XVIII.
 A. C. 1721.

Sæc. XVIII. Romam ablegare vellet sua Majestas ejus
 A. C. 1721. arbitrio relinqueret, consultius tamen
 foret, ut præ ceteris Patrem Raynaldum Mariam & Rovedam eo decerneret. Hunc utpote Pontifici nequidem facietenus cognitum mittere tergiversabatur Legatus: id tamen displicuit Jesuitis, qui Rovedam ea ex causa excludi suspicabantur, quia ipsis oppido addictus esset: cum autem Mandarinus *Chao* nuntiaret, Imperatorem omnino velle, ut Legatus hos duos Romam cum epistola ablegaret, acquievit ille, suamque epistolam confecit, hujus tenoris:

Beatissime Pater.

„Prostratus ad pedes Sanctitatis vestræ humillimas transmitto literas, quibus Pastoralis ejus sollicitudini plene satisfactum iri spero: sola recordatio, & multo magis scripta narratio cor meum summo explet gaudio. Quam præclaræ sunt gratiæ, quibus me potentissimus Imperator cumulavit. atque etiamnum cumulat? nec ego calamo, nec Pater Raynaldus Maria a S. Josepho, & Benedictus Roveda sermone, nec quisvis alius facundissimo ore & lingua Sanctitati vestræ cuncta explicare poterit, vincit relatio fidem, omnemque eloquentiam. Profecto
 „am-

„amplissima, omnique commendatione
 „dignissima erat illius benignitas, qua Sæc. XVIII.
A. C. 1721.
 „mecum tanquam Oratore a Sancti-
 „tate sua ablegato in publico egit col-
 „loquio, quod a me Regnique Proceri-
 „bus pro singulari gratia, qua major
 „vix concedi possit, ob honorum am-
 „plitudinem non sine admiratione ha-
 „bebatur. Excepit me præsentibus
 „Mandarinis generis nobilitate clarissi-
 „mis convivio lautissimo juxta ac splen-
 „didissimo, propria dextera e folio suo
 „tot aliis, iisque præclaris meritis
 „splendido craterem mihi propinavit,
 „pretiosis vestibus, & patinis affabre
 „elaboratis, aliisque copiosissimis donis
 „auxit, meque magnificentia profusio-
 „re, quam spes, & vota mea, hono-
 „ravit. Non raro singularem dignitatis
 „mæ rationem habuit, meque tam
 „in Aula, quam in domo exquisitis e-
 „pulis accepit, adeo, ut meus inco-
 „latus hucusque continuatus favor ex-
 „stiterit, nec a sua Majestate, & po-
 „tentissimo Principe majori in honore
 „haberi potuissem, & quidem unice
 „intuitu Sanctitatis suæ, cujus dona
 „non minus ac ejusdem preces, quas
 „pro illius incolumitate obtulit, pror-
 „sus eidem gratæ acceptæque fuere.

„Cum autem libera Sanctam legem
 „nostram in sua puritate per Sanctitatis

„ve-

Sæc. XVIII. „vestræ definitionem restituta in Im-
 A. C. 1721. „perio prædicandi facultas vel maxime
 „Sanctitati suæ cordi sit, quoad prin-
 „cipale hoc punctum non sine gaudii
 „plenitudine refero, quod heri ex collo-
 „quio publico cum immenso prorsus sola-
 „tio unacum Europæis recesserim, eo-
 „quod idem Imperator de veritate per
 „meas propositiones convictus declara-
 „rit, quod totum negotium circa sanctam
 „Legem nostram sit confectum, nec
 „ulla desuper haberetur controversia:
 „insuper etiam Imperator tandem ad
 „Sanctitatis vestræ vota permisit
 „ut juxta preces meas sancta Lex
 „nostra in sua puritate prædicari
 „posset. Postea omnibus injunxit, ut
 „præteritorum immemores in continua
 „unione & summa pace imposterum
 „viverent, ac si ejusdem familiæ con-
 „tubernales essent. Eapropter ego,
 „omnesque Europæi tam benigni Mo-
 „narchæ beneficentiæ perdemissas gra-
 „tias cum summo ac sincero animi ju-
 „bilo egimus: Omnium ergo nostrum
 „desiderium eo abit, ut tam læta ejus-
 „modi notitia ad Sanctitatis suæ thro-
 „num pertingat, & suas totiusque Ec-
 „clesiæ preces pro conservanda tam
 „magnifici Benefactoris nostræque Re-
 „ligionis Patroni incolumitate eo fer-
 „ventius, uti humillime supplico, ad
 „Deum

„Deum nostrum verum effundere va-
 „leat. Profecto tam exoptatum bene-
 „ficio ab omnibus Principibus, cun-
 „ctisque Europæ Nobilibus celebrabi-
 „tur. Enimvero ad gaudii mei comple-
 „mentum tam felicem faustumque nun-
 „tium fusiore calamo prosequi deberem,
 „temporis tamen angustix obstant,
 „quocirca humillime ad pedes Sancti-
 „tatis suæ prostratus Sanctam bene-
 „dictionem exoro.,,

Sæc. XVIII.
 A. C. 1721.

*Cham Chum Tuen prope Peckinum
 die decima quinta Januarii 1721.*

Sanctitatis vestræ

*Humillimus, devotissimus & obliga-
 tissimus Servus ac Filius Carolus
 Ambrosius Patriarcha Alexan-
 drinus, & Legatus Apostolicus.*

Hanc epistolam Legatus Apostoli-
 cus suæ familiæ Missionariis prælegit,
 quorum nonnullis, religionem prædi-
 candi facultatem ab Imperatore fuisse
 concessam, nimis asseveranter enun-
 tiari videbatur: Ast Legatus respondit;
 vel Imperator hanc epistolam ad Pon-
 tificem mitti permittet, & tunc
 Imperator suo consensu hanc facultatem
 haud obscure approbasse censebitur: si
 vero non permittet, tunc clarius men-
 tem suam desuper explicabit, & tum

Hist. Eccles. Tom. LXXI. C jux-

Sæc. XVIII. juxta ejus declarationem epistola cor-
A. C. 1721. rigi poterit.

§. VIII.

*Legatus Apostolicus Pontificis Con-
stitutionem in sua domo Sinice
reddere jussus.*

Vespere ejusdem diei Pater Wolfgan-
gus a Nativitate B. V. Carmelita
Excalceatus, & Scipelus a Palatio do-
mum reversi referebant, quod Eunu-
chus *Cinsu* primo submissa voce cum
Mandarino *Chao* collocutus, tandem
contentiore voce in hæc verba pro-
rumpere auditus fuerit: *Quid ad te,
si Imperator Legati petitis annuere velit?
cur id tibi displiceat?* Narrabant insuper,
quod Imperator ad Jesuitas, Pedrinium
& Ripam dixerit, eorum quosdam plus
quam par esset, cavillari, nodumque
in scirpo quærere: ipsis vero plenam
Majestati suæ obedientiam spondenti-
bus, interrogasse Imperatorem, quid
ipsis de iis, quæ in nupero colloquio
ad Legatum dixisset, videretur, eos
vero respondisse, sibi videri, quod Im-
perator ironice fuisset locutus, mox
vero Patrem Murao addidisse, *Optime
facit sua Majestas, quod Papæ Legatum
bene custoditum teneat:* Imperatorem vero
Mandarinis præcepisse, ut omnia verba
in